

Supposui Diametrum Lunæ 31'. 0". cum eam observare non possem, propter pallidum Lunæ lumen, & quia cornua sive cuspides ejus, sub aspectum non cadebant. Et ex observationibus construxi Schema hujus Occultationis. Vid. *Fig. VII.* Ex eo apparet, Horarium Lunæ à Venere visum fuisse 29'. et distantiam minimam Veneris à centro Lunæ 9' meridionalem.

Fig. VIII. exhibet particulam disci Lunaris, & phasim Veneris quomodo apparuerit per Tubum 18 pedum, cum ejus distantia adhuc esset notabilis à limbo Lunæ; nec non mutatam Veneris figuram, cum attingeret limbum Lunæ.

A tempore quo Veneris cuspidis Septentrionalis certè tetigit limbum Lunæ usque ad Immerfionem totalem Veneris elapsa sunt 45" & dim. temporis. Ex iis elicui Diametrum Veneris 18". Cum vero margo Veneris obscurus, qui observari non potuit, necessariò paulò ante cuspidem Septent. tangere debuerit limbum Lunæ, mora ab initio immerfionis disci Veneris paulò debuit esse longior. Si assumo tempus quo ♀ Lunam primo tangere videbatur, & ab immerfione totali subtraho, invenio moram immerfionis 55 & dimid. secunda, quibus in hac observatione, competunt 22 secunda, pro Diametro Veneris.

Decem Altitudines Solis, quas post meridiem D. 9 Sept. cepi, cum totidem antemeridianis collatæ, arguunt, Horologio D. 9 Sept. in ipso meridie addenda fuisse 8'. 13". Motus Horologii tum temporis, singulis Diebus retardavit 43", respectu temporis veri, quod propter Correctionem temporis notare debui.

VIII.

Falsitas Hypotheseos

Motus Terræ circa Lunam, ceu Planetæ secundarii circa primarium, ex Observationibus Astronomicis demonstrata.

Cum nuper ex Diario Gallico, *Journal des Scavans Océobr. 1727.* perlegerem Hypothesin novam, quâ Monachus quidam, *Jacobus Alexan-*